# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS,
DE
# FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS,
## PO[redacted]TISSIMUM TERTIANIS;

QUAM,

SUB MODERAMINE VIRI ADMODUM REVERENDI,

GULIELMI SMITH, S. S. T. P.

COLLEGII ET ACADEMIÆ PENNSYLVANIENSIS PRÆFECTI;

*Ex* CURATORUM PERILLUSTRIUM *auctoritate,*

NEC NON

*Amplissimae* COLLEGII ET ACADEMIÆ FACULTATIS *decreto;*

DEO MAXIMO ANNUENTE,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJECTAM SUSTINUIT


JONATHAN POTTS, M. B.

PENNSYLVANIENSIS.


AD DIEM 28 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.



---

*Hi motus——atque haec certamina tanta,*
*Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.*

VIRG. GEORG.

---


PHILADELPHIÆ:

TYPIS JOHANNIS DUNLAP. /771

VIRO ERUDITISSIMO,

PLURIMUM HONORANDO,

JOHANNI MORGAN, M. D.

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS,

ATQUE

COLLEGII MEDICORUM REGALIS

APUD EDINBURGENSES,

SODALI ORNATISSIMO;

THEORIÆ ET PRAXEOS MEDICINÆ

IN ALMA ACADEMIA PHILADELPHIENSI

PROFESSORI DIGNISSIMO;

OB SUMMAM ERGA SE BENEVOLENTIAM,

SEMPER COLENDO;

HANC DISSERTATIONEM,

EO QUO PAR EST OBSEQUIO,

D. D. C. Q.

JONATHAN POTTS.

# PROEMIUM.

*NON vana gloriolae aucupatio, nec cacoethes auctorum medicorum numerum adaugendi, sed utilis scientiae amor ad scribendum hoc me impulit; scientiae nempe medicinae, quae a primis hominum seculis, usque ad tempora nostra, inter omnes humaniores gentes, ut saluberrima, et utilissima, in maximo praetio habita, summa cum diligentia semper exculta est.*

*" Historiae namque prisca monumenta nos docent, " Assyriis, Babyloniis, Chaldaeis et Magis, eam primo " fuisse excultam; hinc in Egyptum, Libiam, Cyrenai- " cam et Crotonem migrasse; ex his in Graeciam deri- " vatam floruisse; post sextum seculum in Europa, a " nono dein ad decimum tertium ab Arabibus, in Asia, " Africa, et Hispania cultam esse."—Post hoc tempus scholae publicae in Italia, Germania, Gallia, et Magna Britannia, institutae sunt, ad rem medicam promovendam. Nunc tandem illa scientia quae a primaevis temporibus " quasi aliquod mortalibus divinitùs con-*

*cessum*

*" cessum existimabatur *," ad regiones Americanas peregrinans, hanc novam orbis partem visitavit. Quod autem non minimo erit, in seculis venientibus, hujus inclytissimae academiae, decori, hic, prae aliis locis, sibi sedem figere elegit: nam ad exemplar celeberrimarum in Europa institutionum, scholae pro medicina colenda, primae in orbe Americano, in hac alma matre mense Maji, Anno Christi M. DCC. LXV. constituebantur, quae, illo die magno, simul et celebri, ad collegium et academiam Pennsylvaniensem, curatorum in publicis comitiis decreto, ascitae fuerunt. Deinceps, Professoribus in toto ambitu medicae disciplinae constitutis, praelectiones quotannis habitae sunt.*

*Postea, nempeineunto anno M. DCC. LXVII. e curatoribus collegii et academiae Pennsylvaniensis aliqui, ii nempe, qui medicinam exercent; Praeses facultatis, et Professores medicinae et anatomiae conventi; Regulas quasdem excogitaverunt, tales medicinae studiosos, qui cum diligentia, fructu, et laude, studiis suis hic incumberent, insigniendi causa iisdem honoribus, et gradibus, qui solenniter, aliis in locis, in dignissimos collocantur. Hae regulae, proximis curatorum collegii et academiae comitiis, sancitae, et pro legibus stabilitae, publicò editae sunt.*

* *L'Histoire de la Medicine, par Le Clerc.*

Debito

*Debito tempore triennii, poſtquam gradu Baccalaureatûs ornatus fuerim, nunc abſoluto, ſummum gradum doctoratûs in medicina mihi tandem adepturo, hujus academiae legibus obtemperandum eſt: quapropter, hac diſſertatione, qualiſcunque fuerit, de febribus intermittentibus, in arenam deſcendere me accingo. Faxit Deus ter opt. max. ut hoc et omnia conamina ad hanc utilem ſcientiam promovendam, ad ſuam gloriam, reipublicae commodum, aegrorumque ſalutem dirigantur, et cum fructu procedant.*

*Aliquid illuſtriſſimis inclytae et florentis hujus academiae Curatoribus, et Cl. Profeſſoribus, qui bonis artibus, et huic almae matri, conſtanter invigilant, receptu dignum proferre, ſummopere expeto.—Sin autem conatus tam ardui minus ad vota reſpondeant, ſperare licet laudandi hujus inſtituti primitias, omnes benigno vultu eſſe recepturos. Saltem veniam impetrabit mihi, quod leges bonae poſtulabant, auſum eſſe.—*

*—— "Si deficiunt vires, audacia certe*
*Laus erit, in magnis et voluiſſe ſat eſt."*

DISSERTATIO

# DISSERTATIO MEDICA,

## INAUGURALIS,

### DE

## FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS,

### PO[redacted]TISSIMUM

## TERTIANIS.

OMNIUM morborum qui corpus humanum infestant, nullus quam febris crebrior invadit; nemo enim mortalium fortassis unquam diu vixit, omni febris gradu protinus immunis; et pauci absque febre moriuntur. Uniuscujusque itaque refert medici febris naturam diligenter perscrutari. Quoniam autem variae sint causae, et multiplices febrium effectus, in classes diversas dis- *Febrium divisio.*

tinguuntur, quarum diviſio maxime uſitata eſt in febres continuas, remittentes, et intermittentes.

Febris continua, remittens, et intermittens.

Febris vocatur continua cujus omne tempus tantùm una acceſſio eſt, a principio ad ſolutionem uſque *, vel quae motum febrilem ſemel excitatum uno impetu ad finem perducat †. Ubi vero per vices impetum quidem remittit febris, et deinde exacerbatur, ſic tamen, ut ab initio ad finem morbi nunquam abſit febris, quamvis nunc validior, nunc remiſſior fuerit, vocatur febris remittens ‡. Quae autem conſtat ex duobus vel pluribus paroxyſmis, integra interveniente apyrexia, id eſt, quae per vices impetum ita remittit, ut plena apyrexia inter duos quoſque paroxyſmos intercedat, vocatur febris intermittens §.

Quoniam autem limites ſtatutos diſſertationis inauguralis tranſgredi nollem, non de ſingulis febrium generibus, ſed tantum de febribus intermittentibus, et tertianis potiſſimùm diſſerere propoſui. De his enim maxime idoneum mihi eſſe verba facere judicavi, praeſertim quia earum cura fere quoti-

* Galen. de febribus, lib. II. cap. 2.

† H. Boerhaav. Aph. 727.

‡ Van Swieten. Comment. vol. II. p. 410.

§ H. Boerh. Aph. de cognoſcend. et curand. morb.

diana

diana mihi contingit, nam inter noſtrates frequentiſſimae ſunt; et ſi recte tractentur, facilem accipient medelam; ſin negligantur, aut, intempeſtivo corticis peruviani uſu ſuffocatae, ſopiantur, peſſima mala inde ſaepe proveniunt.

## S E C T. I.

*Hiſtoria febrium intermittentium.*

UT in aliis, ſic etiam in intermittentibus febribus, tria tempora facile diſtinguuntur, quae tribus ſtadiis febrium continuarum reſpondent. Primum *Cl. Sydenhamus* vocavit tempus *exhorreſcentiae*, quia rigor febrilis, ſive horror, incipiente paroxyſmo, aegrum invadit *; hunc, in ſecundo ſtadio, quod vocat tempus *ebullitionis* †, excipit calor praeter modum auctus; quem, in tertio, quod ipſe appellat tempus *deſpumationis* ‡, ſequitur ſudor cum febris apyrexia.

Tria tempora febrium intermittentium.

* Sydenham. Oper. ſect. I. cap. 5. p. 93.
† Ibidem, p. 94.
‡ Ibidem.

Phaenomena.

Proximò considerandum est magis attentè phaenomena, quae, in his tribus temporibus, ordine se manifestant.

In primo, Signa quae hujus febris adventum praenunciant, sunt oscitatio, et pandiculatio membrorum, fatigatio, debilitas, frigus, insensilitas, horror, tremor, pallor; respiratio anhelosa, anxietas, nausea, sitis ingens; dolor articulorum, dorsi, capitis; pulsus velox, debilis, parvus, inordinatus; urina ut plurimum pellucida et tenuis; et, desinente hoc primo stadio, saepe vomitus, aut dejectio materiae cujusdam biliosae contingit.

Secundò, Signa praecedentia excipiunt calor urens, rubor magnus, respiratio fortis, ingens, liberior, anxietas imminuta, pulsus major validiorque, capitis et artuum dolor ingens, sitis magna, corporis jactatio; et urina plerumque erubescit.

Ultimò, Mitescunt symptomata; calor minuitur; respiratio fit libera; pulsus mollis et plenus; sudor per cutem prorumpit; urina redditur crassa, sedimentum lateritium deponens: sequitur apyrexia.

Symptomatum

Symptomatum numerus ingens, et magnitudo, tempus primum ſequentibus multum periculoſius reddunt. Quandocunque extinguantur homines in febris intermittentis paroxyſmo, quod interdum, etſi rarius, accidit, illos in primo illius ſtadio mori obſervatur. Propter reſpirationem difficilem, ſanguis in pulmonibus, et circa cor dextrum accumulatur; et ejus liber per arterias capillares motus, ob frigus quod occupat extrema, impeditur; unde cor ſiniſtrum, quantam natura exigit copiam ſanguinis non recipiens, debiliter nimis ſtimulatur; neque poteſt vitale fluidum per arteriolarum oſcula, ubi haeret, pellere, unde circulum ſanguinis, quo vita pendet, turbari et impediri neceſſe eſt.

Periculum primi temporis.

In ſecundo autem ſtadio diximus calorem auctum ſequi, cum pulſu fortiore, quorum virtute, ſanguis per minimas arterias pellitur, et obſtacula ejus progreſſus ſuperant; itaque in hoc paroxyſmo natura morbo praevalet.

In ſecundo natura morbo praevalet.

In tertio, devicta febre, omnium ſymptomatum vis remittit. Tunc ſudor fere ſemper febris paroxyſmum claudit, etſi quandoque materiam morbi febre ſubactam, per vomitum, per alvum, aut per urinam expelli, conſtat.

In tertio vincitur febris.

Febris absentia.

In febre intermittente, homo qui jam aegrotaverat, tribus his ſtadiis abſolutis, perfectam recuperaſſe ſanitatem, et omnes functiones recte ad normam rediiſſe, videntur, quaſi prorſus a morbo liberaretur aegrotus.

Morbi recurſus.

Procedente autem tempore, ex improviſo forſitan morbus recurrit, et eadem quae jam deſcripſimus ſymptomata, ſe de novo alternatim recipiunt.

Apyrexia.

Temporis ſpatium in quo aeger morbo immunis eſt, et quod inter quaſque duas acceſſiones intercedit, vocatur apyrexia.

Paroxyſmus.

Quamdiu autem duret febris inſulſus abſque ulla ſymptomatum intermiſſione, aut ſaltem remiſſione, dicitur morbi paroxyſmus.

Febrium intermittentium ſpecies diverſae.

Febres intermittentes non ſemper eundem faciunt circuitum, vel omnibus ſymptomatibus iiſdem ſtipantur; quapropter obtinet febrium intermittentium ſubdiviſio in varias ſpecies, prout inter ſe ratione intervalli inter paroxyſmos differant. Hinc quae quotidie, alternis diebus, aut tertio quovis die occurrunt; quotidianae, tertianae, et quartanae nuncupantur: et hae ſpecies intermittentium frequenter

quenter incidunt. Quandocunque febres quarto, quinto, ſexto, aut ſeptimo die; vel denique alio majore intervallo redeunt; quintana, ſextana, ſeptana, octana, et ſic porro nominantur; quae ſpecies autem admodum rarae ſunt.

HAE febres omnes nomina ſortiuntur a temporis ſpatio, in quo perfectum unumquemque circuitum abſolvunt. Obſervari oportet calculum eſſe a primi paroxyſmi initio, ad ſecundi principium: Ita tertiana denotat ſecundum paroxyſmum, die tertio a morbi primo ingreſſu accidiſſe. In quartana, paroxyſmus die quarto ab eodem revertitur. Itaque ordine, paroxyſmi quintanae, ſextanae, die quinto et ſexto, ab initio morbi contingunt. Nominum ratio.

QUI ad hanc methodum faciendi calculum non attendant, nominum rationem minimè ſapiunt, neque morbi indolem appellatio ejuſdem illos docet; cum enim in quartana obſervent apyrexiam duobus diebus durare, ſequente autem die, quem vocant tertium, febrem redire, non vident quare hanc medici quartanam, et non potius tertianam dicant. Sed quum intelligatur illis in uſu eſſe calculum facere a primo morbi impetu, et ſub nomine febris includere hunc primum diem, et intervallum apyrexiae, et deinde tempus in quo morbus Docet morbi indolem.

novum facit infulfum, tunc nominum ratio, quae intermittentium febrium fpeciebus diverfis imponuntur, diutius non latet.

Febrium intermittentium numerus ingens obfervatur; omnium autem tertiana frequentiffima, et quartana pertinaciffima effe dicitur.

Diftinctio a typis et fymptomatibus.

Distinctio harum febrium notatu digniffima, fumitur ab illarum typis, hoc eft, a majore vel minore paroxyfmi duratione; vel a fymptomatibus ipfius infignioribus. Quando per circuitum quemcunque morbi, unus paroxyfmus, et apyrexia una folùm adfint, vocatur *febris intermittens fimplex*; fed quando plures in eodem circuito enumerentur paroxyfmi, *duplicata*, vel *triplicata* appellatur, quia "tot numero febres funt, quarum fingulae fequentibus ordine paroxyfmis, horâ acceffionis, fymptomatum numero et vehementia, refpondent; atque fic a quotidiana febre diftinguitur tertiana duplicata, vel quartana triplicata."

## SECT. II.

### *Febres tertianae intermittentes.*

HAE febres quibus paroxyſmi inter ſpatium duodecima horarum decedunt, *Tertianae verae*; quibus autem diutius manent, *nothae* vocantur. In tertianis duplicatis, diſcrimen inter binos ejus paroxyſmos clare obſervandum eſt, aut horâ acceſſionis aut temporis duratione, aut denique natura et vehementia ſymptomatum quae comitantur, dum primae febris acceſſioni tertia et quinta, ſecundae quarta et ſexta conveniunt: Similiter in quartana duplicata, primae acceſſioni quarta et ſeptima, ſecundae quinta et octava reſpondent, et ſic porro, ordine congruente, ſe vicem recipiunt. Quotidianae vero acceſſiones ſibi mutuo ſunt ſimiles. Tertiana vera, notha, et duplicata.

IN tertiana duplicata, majus eſt intervallum quod paroxyſmum violentiorem claudit; levior enim paroxyſmus plerumque miteſcit tantùm, aut remiſſionem potius quam intermiſſionem habet. Hinc, ut diu obſervavit ſapiens Hippocrates, nox ante acceſſionem violentiorem magis moleſta eſt; ſubſequens vero levior eſſe ſolet *. Tertianae duplicatae paroxyſmi.

* Hippoc. de morb. vulg. lib. vi. § 2.

Tertiana anticipans et poſtponens.

Febris tertiana, quae aliquot ante quadraginta octo horas circuitum peragit, vocatur *Tertiana anticipans*; quando autem aliquot horis ultra hoc definitum tempus excurrat, dicitur *Tertiana poſtponens*. Perturbantur nonnunquam febris circuitus, ſupervenientibus abſque frigore praenuncio paroxyſmis. Hic notandum eſt, non ſemper mali ominis eſſe febres, quando tempus expectatum anticipent, neque boni, cum idem poſtponant, ut volunt aliqui. Contrariè autem, priores naturae vim, poſteriores ejus debilitatem indicant *.

Tertiana vernalis et autumnalis.

Discrimen eſſe diximus inter febres intermittentes ratione ſymptomatum inſigniorum quae illas comitantur; quapropter in diverſas claſſes revocantur ſecundum anni tempus quo graſſantur. Morbos enim ſaepenumero exacte emulantur, qui vernis aut autumni temporibus regnant. Hinc nulla eſt utilior diſtinctio febris intermittentis, et maximè tertianae, quam illa, quae eam dividit in vernales, quae a Februario ad Auguſtum, et autumnales quae ab Auguſto ad Februarium dominantur; nam his binis temporibus inſignis morborum mutatio occurrit †.

* Cleghorn on the diſeaſes of Minorca.

† B. Aph. 747.

In

In curſu harum febrium frigus, et tremor febrilis, quae paroxyſmos inducunt, minuuntur, aut prorſus evaneſcunt, quorum vice dolores in regione dorſi et lumborum aliquando funguntur; interdum horripilationes cum ſubitaneis caloribus permiſcentur. Paroxyſmi interim longiores fiunt, ſymptomata moleſtiora ſecum afferentes, ut ſunt capitis dolor, delirium, ſopor, ſanguinis e naribus ſtillicidium, tuſſis, reſpiratio anheloſa, cordis palpitatio, pulſus turbatus, nauſea, anxietas, dolor circa cardiam, vomitus, diarrhoea; et in viſceribus abdominalibus calor, tenſio, dolor et pulſatio; tendinum ſubſulſus, aliaque plurima, cum ſudore qui paroxyſmum terminat non poenitus ceſſantia; unde apyrexia non tantùm brevior, ſed etiam obſcurior fit.

*Symptomata morbi progreſſui ſupervenientia.*

Inter febres intermittentes, licet ejuſdem ſint nominis, et eundem typum ſervent, ingens tamen diverſitas obtinet in ſymptomatibus et curatione, prout uno alterove tempore anni incipiant. Vernalis ſemper eſt ſaluberrima, et minimè lethalis, diuque raro durat; ſed autumnalis diuturna eſt, et curſum ſaepe per plures menſes tenet; imo interdum ad ver anni ſequentis protrahitur, neque ullam capit medelam, niſi quam praebet temporis anni mutatio.

*Harum diverſitas.*

 Tanta

Tanta eſt inter vernalem et autumnalem differentia, et adeo diverſa earum indoles, ut altera crebro obſervatur alteram fugare.

Autumnales ſaeviores.

SYMPTOMATA morborum autumnalium longe ſaeviora quam vernalium eſſe ſolent, et tunc temporis morbi ſunt maximè acuti et exitiales; ſic etiam autumnalis intermittens horum indolem imitatur et continuam febrem aliquamdiu ſaepe mentitur.

Diſtinctio inter illas et febres continuas.

MAGNI eſt momenti inter febres quae ad claſſem intermittentium aut remittentium pertinent, etſi continuas mentiantur, et febres revera continuas diſtinguere, quia methodus medendi has per evacuantia, quae optima eſſe queat, illis maximè noceret, "Quandoquidem febres intermittentes, continuâ "adſcitâ, adoriri, nec facile eſſe aliquamdiu, niſi "diligenter adverteris animum, quicquam aliud "praeter aliqualem morbi remiſſionem deprehen"dere, quae tamen paulatim in perfectam deſinit "intermiſſionem, et typum anni tempeſtati aptè "reſpondentem" obſervavit Cl. Sydenhamus. Ideoque ſi dubium videatur num febris ad intermittentis aut continuae claſſem pertinet, attento animo obſervandum eſt, num in tali febre ſenſibilis remiſſio et exacerbatio deprehendi poſſint. Si enim contingant, probe ſcimus hanc febrem ex genere

remittentium eſſe, et eandem curam quam intermittentes poſcere.

Febres tertianae perſonatae.

INTERDUM febres tertianae autumnales ſub aliorum morborum perſona latentes, abſque ullo intermittentium ſigno, excepto fortè lateritio in urina ſedimento, detexerunt viri in arte celeberrimi. Nonnunquam ita fixis ſtipantur capitis, pectoris, abdominis, dorſi, artuumve doloribus, obſervante *Cl. Clegborn*, ut phrenitidis, pleuritidis, hepatitidis lumbaginis, aut rheumatiſmi ſpeciem prae ſe ferant exactam; praeſertim quando apyrexia omnino obſcura fuerit, ut fit, cum unum alterumve ſymptomatum magnopere ſaeviant, aliaque obſcurent. Hinc videmus hemicraniam, choleram, dyſenteriam, et tuſſes infantum convulſivas, certis redire intervallis. Quaedam hujus claſſis febres, propter ſymptoma aliquod praedominans nomina ſpecialia adeptae ſunt, ut *lipyria*, *aſſodes*, *elodes*, *et febris ſyncopalis.* Ex numero tertianarum ſunt, et plerumque in initio harum typi ſatis diſtincti ſunt, etſi jam difficile foret inter paroxyſmos et intervalla diſtinguere.

Mutatio morbi multiformis.

MIRO modo hic morbus proteiformis typum variat, et in ſingulis circuitibus mutat periodos; interdum eos contrahit; aliquando ſequentes paroxyſ-

mos

mos violentiores et frequentiores habet, donec ad morbi apicem perventum eſt. Hoc tempore, tum acceſſiones, tum remiſſiones ita confunduntur, ut diſtingui minime poſſint. Hae tamen, niſi mors cito ſequatur, quando remiſerit morbi vis, quae tantam feciſſet turbam, ſimpliciores rurſus evadunt, priſtinum typum regularem induentes, et, paucis finitis paroxyſmis, ſponte decedunt *.

Ad typum regularem oportet revocari.

Ab his febribus larvam detrahere medico ſummopere nitendum eſt, aliter in errorem facile incidere queat; ſi enim remedia dentur calida et ſtimulantia, febres, quae ad claſſem intermittentium pertinent, in continuas mutabuntur. In haram etiam curatione, primus ſcopus debet eſſe eas ad typum regularium intermittentium, aut ſaltem ad remiſſiones diſtinctas revocare; tum ſimilem curam quam intermittentes requirunt, adhibere.

* Confer quae de febribus tertianis ſcripſit paſſim Cl. Cleghorn on the diſeaſes of Minorca.

S E C T.

## SECT. III.

*Causae febrium intermittentium.*

CAUSA PROXIMA in actionibus, scilicet cordis musculosâ, et cerebri et cerebilli nervosâ, laesis, ponitur; nam integritas harum actionum ab organis cordis, cerebri et cerebelli, valentibus pendet; et illorum imperfectio functionum sufficit ad omnes effectus febrium intermittentium explicandos. Adeo causa proxima morbi cujusvis appellatur tota illa simul, quae totum jam presentem morbum constituit. Causam proximam intermittentium febrium statuendo ulterius procedere nolo. Non equidem ignoro aliquos esse qui potius quam ingeniose fateri se rem aliquam ignorasse mallent de inscrutabilibus plurima verba facere; tales, sunt qui limitare velint qualis illa mutatio in nervis sit, quae causa fiat proxima febris; tales, speculationibus nimis indulgentes, amant omnia phaenomena in corpore animali, quae supra eorum, et fortasse supra humanum intellectum sint, spasmo tribuere, quasi in hoc vocabulo aliquod divinum esset. Hi non aliter faciunt quam Aristotelis sectatores, qui ab omni difficultate se semper expediverunt in rebus occultis explicandis ad voces synonimas et definitiones occultas confugiendo,

Causa proxima.

fugiendo. Hoc idem eſt quod homines faciunt, non notum per magis ignotum fingendo explicare. " Praeſtat certe in morborum cauſis indagandis " progredi quouſque per fidelia obſervata et cog- " nitam hactenus corporis humani fabricam licet, " et in reliquis ignorantiam fateri, quam fictis hy- " potheſibus, quantumlibet etiam ingenioſis, lu- " dere." Talia iis reſigno quos juvat:

—— Aërias tentaſſe domos, animoq. rotundum
percurriſſe polum——.

Hor. lib. I. od. 28.

Cauſae occaſionales.

Causae procatarcticae sive occasionales febrium intermittentium ſunt omnia quae perſpirationem ſubito cohibeant; quae fibras laxent; quae ſanguini lentorem aut ſpiſſitudinem concilient, et humorum circuitum impediant, aut quae vaſa ſecretoria et excretoria obſtruant; tempeſtatum viciſſitudines et ſubitaneae mutationes caeli calidi, frigidi, ſicci, et humidi, cito ſe alternatim excipientes; errores in cibo et potu, ſomno et vigiliis, caeteriſque rebus non naturalibus; metus, contagium, ſive miaſmata epidemica; applicatio frigoris corpori exſudanti, et ſimilia; atmoſphaera humida putrida, vapores ex locis paludoſis exhalantes. Conſtat enim experientia, eos qui regiones habitant illis vicinas, febribus intermittentibus maximè obnoxios eſſe.

CAUSAE illae occaſionales non omnibus, ſed praediſpoſitis ſolum, nocent. Vidimus enim homines vitam in aere humido, vaporibus repleto, degere, et tamen a febre intermittente immunes evadere, quia iis deeſt ille corporis ſtatus, qui, in aliis, huic excitando morbo favet. Quacunque corporis conditione hic ſtatus conſiſtit, vocatur Cauſa praediſponens.

Praediſpoſitis ſolum nocent.

## S E C T. IV.

### *Cauſa praediſponens.*

CUJUS ſit naturae cauſa illa praediſponens in febribus intermittentibus; num ſedem habeat in ſolidis, vel in fluidis corporis; et qualis ſit ejus diverſitas in variis harum febrium ſpeciebus; nos latet, et forte ſemper latebit: Sed effectus ejus in iis producendis obſervare licet.

HAEC cauſa praediſponens febris indolem determinat, et qualis ipſa cauſa ſit, talis eſt febris intermittens. Quandocunque genium mutat, et v. g. tertiana autumnalis in quartanam degeneret, veriſimile eſt cauſam praediſponentem mutari; nam diverſa, in ſingulis febrium intermittentium ſpeciebus, cauſa praediſponens eſſe videtur.

Cauſa praediſponens indolem febris determinat.

Quam causa occasionalis in actum ducit.

Sola autem non videtur sufficiens esse causa praedisponens ad excitandam febrem, sed manere in corpore quiescens, nec ullo indicio se prodere, donec accedat causa occasionalis quae illam in actum deducat. Cum autem semel excitetur febris, tum, pro indole diversa causae praedisponentis, et pro activitate causarum occasionalium, febris quotidiana, tertiana, aut quartana; simplex aut duplicata producitur. Certus enim character singulis a causa praedisponente imprimitur, per quem, statis temporibus paroxysmus renovatur, quamdiu ille impressus character manet; et tales febres indolem et genium paroxysmorum primariorum servant.

Quando causa occasionalis semel in actum, causam praedisponentem excitavit, non opus est ut renovetur, ad paroxysmos, statis temporibus, revocandum; nam pergit febris certis redire intervallis, donec sopiatur, aut prorsus auferatur vis causae praedisponentis, quae characterem febri impresserat.

Effectus errorum in N. N.

Quod autem mirum est, etsi sopiatur, attamen denuo a causa quadam occasionali, E. g. Errore in rebus non naturalibus, praesertim, si haec causa, eadem hora illius diei contingat, quo paroxysmus, si eo usque febris perseverasset, accedere debuit, ille character renovari potest; unde videtur interdum

dum ſupereſſe diu, etiamſi ſileat, niſi cauſa occaſionalis eum iterum excitaret; tum febris recidiva contingit.

Quae febrem reduplicent.

Causae occaſionalis nimia activitas vel exceſſus paroxyſmum febris tertianae aut quartanae reduplicare poſſunt; aut ſi viribus vitae nimis debilitatis non ſuperetur, quod primario paroxyſmo mutari debuit, adventitiis ſuperveniunt paroxyſmus unus aut alter, et hunc effectum praeſtant. Poſtea duplicati, vel triplicati, qui recurrunt paroxyſmi, priorum typum ſervant; et ſinguli, diebus acceſſionis, horâ, violentia, aliiſque peculiaribus, ſibi invicem reſpondent.

Si aliae cauſae occaſionales, ut graviores in diaeta commiſſi errores accedant, vehementiores paroxyſmos efficient; vel ex ſimplici quartana, duplicatam, vel et triplicatam fieri, quotidiana in praxi obſervata docent.

Cum autem geminentur paroxyſmi febris tertianae, quae antea ſimplex fuit, hoc incidere poteſt quia alia cauſa occaſionalis, manente immutata cauſa praediſponente, die intercalari alterum paroxyſmum excitaverit.

QUAESTIO gravis de febris intermittentis periodis nunc conſideranda venit.

Cauſae febris intermittentis periodorum.

QUARE certis periodis redeant febrium intermittentium paroxyſmi, omnes medici mirati ſunt; pauci cauſam eruere operam navaverunt; conſtat autem obſervationibus, pleraſque humani corporis functiones quaſdem viciſſitudines ſubire, quae, ſtatis temporibus, quaſi in circulo redeunt, dum ſanitate fruamur. Somno, fame, vel ſite, vires corporis refocillare, naturam certis horis nos compellere, omnibus notum eſt. Horâ eadem matutina vulgo expergefacimus; habitus enim legis vim habet; et praeſertim in homine vitam regularem degente haec maximè ſunt obſervanda. Si talis per paucos dies, ſomno poſt prandium indulgeret, opus arduum poſtea foret illius obrepentis circa tempus ſolitum blanditiis reſiſtere, niſi in rebus, quae activitatem poſtulent, verſaretur, aut aliquid negotii mentem ejus multum occuparet. Quidam certa horâ, ſemel in die alvum deponunt: alii in ipſo momento quo e lecto ſurgunt, lotium reddendi deſiderio ſollicitantur, etſi nullo modo, dum jacebant, id perceperunt, et nunc temporis habitus ſolummodo excitavit.

MULTI

Multi qui ab omni clamore remoti vivunt, si sonus aliquis inusitatus aures invadat, dormitare non possunt; dum aliqui, rursus, qui inter strepitum dormire assuescunt, nequeant in alto silentio somnum capere. Novi quemdam in hac urbe automatopaeum, qui solitus fuit omnia horologia, ex sua officina, in cubiculum ejus nocte secum portare, ut a furibus illa custodiret. Quando forte peregrè abiit, levissimum somnum capere non potuit, donec ex amicis horologia sua mutuatus est; quibus circa lectum ordine dispositis, eorum tinnitus illi blandum somnum citissime conciliavit. Exempla quaedam.

Habitus potestas in oeconomia animali tanta esse dicitur, quod dantur homines, qui, circa diem natalem, omni redeunte anno, aegrotant. Cognosco virginem quamdam, partu septimestri, supra viginti annos natam, quae, vulgò sanitate mediocri gaudens, ab aetate infantili, per duos menses, his respondentes quos mater sua transegisse, antequam peperisse, debuerat, si ad partûs statum tempus illi perventum esset, quotannis multum aegrotat. Mira est historia sequens, quam narrat curiosus naturae observator, Cl. *Plinius* secundus, nempe *Antipater* Sidonius poeta, omnibus annis, uno die tantum natali

natali corripiebatur febri, et ea confumptus eft, peracta fatis longa fenectute *.

Aeque memorabilis eft ifta cujusdam Idiotae, quam Cl. Addifon, ex fcriptis Doctoris Plott, nobis tradidit †. Quidam Idiota juxta horologium vivens, femper fe affuefactus eft horas numerare, quandocunque campana fonaverit. Quodem infortunio, cum horologium fpoliatum eft, Idiota pergebat, ficut antea, horas exacte numerare et pulfare, quoties campana fonare debuiffet.

Quid abhinc inferri poteft.

His omnibus ritè perpenfis, in oeconomia animali videtur effe infita difpofitio quaedam ad producendum motus quofdam, certis periodis, in fluidis aut folidis corporis, ubi caufa occafionalis externa eam excitavit. Num corpora noftra imperio corporum coeleftium fubjiciantur non meum eft litem componere. Multa huic opinioni favent. Qui de his plura fcire cupit, illum relego ad fcripta celeberrimi *Mead* ‡.

Ab illa mira facultate in corpore, quae indiciis manifeftis fe prodit, motus varios, fecundum pe-

* C. Plin. fecund. lib. vii. cap. 51.

† Spectator, vol. VI. No. 447.

‡ Mead de imperio folis et lunae.

riodos,

riodos, ſubeundi, etſi ignoremus quomodo fiant, recepi opinionem, febrium intermittentium paroxyſmos, ſtatis intervallis redire, quamdiu maneat character illis, a cauſa praediſponente impreſſus, cujus examen ſenſus noſtros eludit.

Hisce conjecturis, non puto me ſatisfacturum eſſe dubiis eorum qui demonſtrationem poſtulant quam natura ſubjecti non ſinit. Ulterius progredi qualitatibus inviſibilibus inveſtigandis non eſt virium mearum. Haec opinio, quam, ab aliis receptam, novis argumentis ſtabilire aggreſſus ſum, quatenus probabilis admodum, ſi non etiam certa eſſe videatur, mihi arridet. Quando autem veriſimiliorem mihi indigitabit aliquis, rejiciam quam nunc teneo; nam in his et omnibus, me ſemper paratiſſimum eſſe meliora doceri profiteor.

## S E C T. V.

### *Prognoſis.*

FEBRES intermittentes verno tempore, ſi regulares ſint, raro ſunt periculoſae, niſi remediis nimis calidis tractentur. Autumnalibus autem, quamvis mitiſſimae videantur, non eſt prudentis confidere, Quae febres in ſalutem terminantur.

confidere, donec tres ſaltem aut quatuor periodos perfecerunt; deinde ſi paroxyſmi non ultra duodecim horas perduraverint, neque dolores acuti in viſceribus comitentur; ſi ſudore aequali, copioſo, deſinant, et apyrexia perfecta ſequatur; ſi porro aeger morbum facile toleret, cibum cum bono appetitu capiat; ſi urina coloris ſit naturalis, et turbida, ſedimentum album copioſum deponens; circa tertium aut quartum febris periodum, aegrotum cito ſalutem eſſe recuperaturum pronunciare licet.

Quae ſunt magis periculoſae.

FEBRES autumnales etſi ex ſuo genio proprie intermittentes ſint, attamen ob paroxyſmos earum duplicatos et protractos, ſaepe nulla eſt intermiſſio, ſed tantum remiſſio; et magis proclives ſunt ad mutationem in febres acutas et continuas, dum aegroti jugiter lecto incarcerentur, et ſudor, qui ſolet paroxyſmum febrium intermittentium claudere, ultra modum promoveatur; vel, ſi earum cura remediis nimis calidis tentetur, ſaepe lethales deveniunt.

Symptomata periculum minantia.

IN febribus intermittentibus ſigna ſequentia periculoſa ſunt, nempe circa tertium aut quartum periodum paroxyſmi protracti, cum pertinace delirio, intenſo comate, magna anxietate, dolore lumborum, vel ad cardiam; averſatio cibi, debilitas ſumma,

vertigo,

vertigo, hypochondria dura, tumefacta, et ad tactum dolentia; urina tenuis, pellucida, vel intensè rubra; magnae evacuationes quae aegroti vires prosternunt, scilicet, vomitus, darrhoea, haemorrhagia e naribus, sudores colliquantes; postremò febrium intermittentium diuturnitas, et earum mutatio in continuas periculum denunciant.

Denique maximum eminet periculum, ubi sequentia signa se manifestent, scil. paucae sanguinis guttae e naso stillantes, materia nigra per vomitum aut alvum ejecta, urina nigra, aut graviter olens, tota cutis colore admodum flavo tincta, aut maculis luridis, sugillationibusve ubivis discolorata, olor cadaverosus, frigor continuus, absque calore percepto, vel cum calore ingente externo; aphonia, cum stupore lethargiae simili, suspiriis, gemitibus, aut singultibus crebris; situs corporis supinus, facies cadaverosa, oculi semiclausi, rictus, tumor abdominis supra modum auctus, cum alvi constipatione, vel fluxu involuntario; nam haec ominis pessimi sunt.

Febres intermittentes in Pennsylvanienses.

Etiamsi in quarumdam regionum febribus, autumnali praesertim tempore, intermittentibus, endemicis, haec omnia saepe contingunt, attamen febres intermittentes regulares, hujus provinciae, si debito victus regimine utantur aegri, neque perversa me-

dela adhibeatur, facile curantur; imo poſt quartanas febres, nullis validis remediis, ſed bonâ diaeta, et verno tempore ſolutas, firmiora ſaepe inveniuntur hominum corpora, et morbis longe minus quam antea obnoxia. Sic febris quandoque medicamenti virtutem praeſtat, et corpus materia morboſa latente, qua functiones turbantur, liberat; adeoque corpus ad meliorem ſanitatem ducit. Hiſtoria medica hujus generis obſervationes plurimas ſuppeditat. Ordo nos ad curationem febrium intermittentium nunc ducit.

## S E C T. VI.

*Methodus medendi.*

RATIO has febres curandi reſpicit,

1*mo*, Ad modum, quo febrium paroxyſmos tractare optime convenit.

2*do*, Quo horum recurſus praecaveri poſſunt.

Curatio paroxyſmi.

CORDIS actionem augendo, et ſudorem generalem blandum eliciendo, paroxyſmi ſolutionem natura molitur. Huic, viam monſtranti, cum prudentia opitulari debemus. Quapropter aegrum in lecto

componere,

componere, et ſtragulis circumtegere, non autem obruere oportet, cavendo ne calore immoderato ſuffocetur; nec altera parte, ſudores critici, frigore nimio admiſſo, intempeſtive ſupprimantur; in cubiculo amplo debet jacere, ubi aerum purum, temperiei bonae, liberè reſpirare poteſt. Magnopere proderit in aeſtate ſolem excludere, et feneſtram ita aperiendo ut non directe ad aegrotum perveniat, aerem renovare. In hyeme et autumno, praecipuè ſi aer pluvioſus aut frigidus ſit, lignum ſuper foco largè reponere, ad humiditam corrigendam et frigus arcendum conducet.

Potus idoneus.

QUAMDIU duraverit frigor febrilis, aeger debet a potationibus largis abſtinere. Tunc enim venae, ſubclaviana et cava, plenae et turgidae ſunt; *Nam ſanguis, praeſentem horrorem metuens, ad partes maxime calidas concurrit* *: Hinc tranſitus chyli ex ductu thoracico in ſanguinem impeditur, et liquor deglutitus, haerens in canale alimentario, viſcera onerat, et anxietatem parit. Ideoque dum aeger ſitim habeat moleſtam, fauces ſaepe colluendo, et limonia in offulas conciſa, et ſaccharo mixta commedendo, hanc pro virili reſtinguere debet. Interim, ſi nau-

* Hippocrates.

ſea, vel niſus ad vomitum ſuperveniant, haec conamina naturae ſaluberrima, aquam tepidam aut juſculum tenue copioſe hauriendo, promovere maximè oportet. Sic crebro ejicitur magna copia materiei bilioſae, quae aegrum citiſſime ſublevat.

Liquores diluentes.

POST primum paroxyſmum, potationes liquorum diluentium bonae ſunt. Hippocratis autem juſſu, "per totum morbum iſtud praecipue obſervari "debet, ut cum frigidi pedes fuerint, tum a ſorbitione exhibenda, tum maximè a potu abſtineamus *." Cum vero calor ad pedes deſcenderit, tunc dare convenit, tanta copia ut aeger ſiti non vexetur; nec nimium ingurgitet: cum ſudor eliciatur, ad libitum potare liceat.

Copia debita.

POTUM prorſus prohibere, ut aliqui monuerunt, in tertianis, quibus longi ſunt paroxyſmi, multum aegros torquebit, calorem febrilem augebit, et humorum animalium putrefactionem faciet, ſolida conſumet, et vitam in ſummum ducet diſcrimen. Contrario autem errore, ſcilicet potum in initio nimium ingurgitandi, ventriculus opprimitur, et ne criticum ſudorem expellat impeditur, et paroxyſmi protrahuntur.

* Hippoc. de vict. rat. in morbis acut.

Potus aquoſi blandi.

In hoc primo, etiamque in ſequentibus paroxyſmis, potus ſunt idonei, qui calorem minuunt, putrefactioni averſantur, particulas in ſanguine acres, et per renes cutiſque ſpiracula educunt. Huic ſcopo optime inſerviunt liquores aquoſi blandi, aqua ſaccharo edulcorata, cum ſucco limoniorum, aut aliquot guttis ſpiritus vitrioli tenuioris, aut ſpiritus nitri dulcis. Aqua hordeata cum oxymelle ſimplice, amygdalarum emulſio, quibus, pro re nata, ſal prunellae addi poteſt. Obſervatur Cl. *Riverio*, a ſpiritus ſulphuris guttis viginti, cum libra aquae frigidae exhibitis, ſudores copioſos fuiſſe provocatos; nam multis experimentis innoteſcit, plures tertianas eodem remedio curatas eſſe, in ſummo acceſſionis aeſtu, et, urgente ſiti, exhibito, unde copioſi ſudores provocabantur, a quibus non ſolum paroxyſmus, ſed etiam totus morbus integre ſolvebatur *.

Num frigidi aut calidi eſſe debent.

Quaestio eſt inter medicos, num potus calidos, vel frigidos, in tempore paroxyſmi dare praeſtat. Italiae et Siciliae medici aquam glacie frigefactam febricitantibus dari jubent, et pro bonis effectibus ad experientiam provocant. Illis autem, qui in ſanitate hanc nunquam bibere aſſuefacti ſunt, periculum eſt, ne ſubita applicatione tanti frigoris

* River obſ. xix. cent. i.

ſan-

ſanguini inducetur coagulum. Aliqui, ut medici Hiſpaniae aquam crudam, frigidam a ciſterna adhibent. Qui remedium tam potens et ſalubre, natura id exigente, contra optimorum medicorum monita, aegrotis negant, certo recte non faciunt; quotidiana enim praxi invenitur, in febribus aeſtivis non tantum eſſe tutum et innocuum, ſed liquoribus calidioribus anteponendum. Sitim magis compeſcit, itidemque vaſorum, calore laxatorum et debilitatorum, tonum firmat; imo ſanguinis ad putredinem praediſpoſitioni magis reſiſtit. Hinc poſt ſingulos hauſtus, novus redditur corpori vigor, quo febrilis materiae coctionem et expulſionem facere queat.

Induſia quando mutanda. QUAMDIU manet ſudor criticus, lodices et induſium aegri mutare oportet; nam cum ſemel permadida fiant, non facile ſudorem amplius abſorbent; praeterea cavendum eſt, ne materia perſpirationis morboſae, ex panno humido, venis cutaneis reſorpta, in ſanguinem redeat.

Medicamenta. SI medicamentis opus fuerit, inter optima merito habentur hauſtus ſalini, ad diaphoreſim blandam excitandam, in ſtatu efferveſcentiae propinati. Si autem ſymptomatum vehementia, plethora, aut inſpiſſitudo inflammatoria inſtent, venaeſectio inſtituenda

tuenda eſt, et pro neceſſitate rei repetenda. Tempus venaeſectionem inſtituendi, quando res eam poſtulet, in primo vel ſecundo paroxyſmo, primo ſtadio ejuſdem, nempe rigoris, abſoluto, in principio caloris febrilis, optimum eſt; tum enim venaeſectione calor minuitur, et ſudores critici citius et copioſius eliciuntur. Poteſt etiam, in intermiſſione, cum emolumento inſtitui, ſi ante ſecundum, vel tertium febris impetum fiat.

In paroxyſmo nullus cibus aut tenuiſſimus eſt concedendus, ex pane bis cocto, vel vegetabilibus aceſcentibus, fructibus horaeis, ſimilibuſque. Diaeta.

Observandum autem eſt de diaeta aegrotorum, etſi, in harum febrium initio, cibum omnem, niſi tenuem et aceſcentem, faſtidiant; eos amare liquores gratos refrigerantes; ſed poſt aliquot dies magis gratum devenit vinum. Ad morbi declinationem prudens uſus ejuſdem aquâ commixti, aut ſerum lactis vinoſi, requiritur, ut vires labefactantes ſuſtineantur, et debilitas, malorum omnium peſſimum, praeveniatur.

Ad paroxyſmorum recurſum praecavendum tandem pervenimus. Proxyſmi recurſus praecavendus.

Si venienti frigori febrili, quocunque modo occurramus, totum illum paroxyſmum facilius praeoccupare Emetica et cathartica.

occupare valemus. Huic ſcopo optime inſerviunt emetica, et cathartica lenia. Si morbus ingraveſcat, ſordibus bilioſis circa ventriculum aut inteſtina hoſpitantibus, prout in febribus intermittentibus, praeſertim autumnalibus, communiter contingit; illa cum maximo fructu, ante paroxyſmi adventum adhiberi queant, non ſolum ad bilioſam colluviem repurgandam, ſed etiam ad ejus collectionem poenitus praeveniendam.

Mitiora. EMETICA et cathartica mitiora prae aliis laudantur. Poſt emeticum adhibitum, aeger capiat aquam tepidam, aut infuſionem florum chamaemeli, quam copioſe potare debet, ad promovendam ejus operationem, quinque, ſex, aut ſeptem vices. Tum decoctum avenae, aut oryzae, copioſe potatum, vel ſumptum ſal catharticum amarum, in pauxillo aquae ſolutum, bonos effectus, catharſin lenem ducendo, praeſtabunt.

In morbi initio et febris apyrexia. UBI autem emeticis opus eſt, et ſemper in initio febrium intermittentium, ante paroxyſmi inſulſum, ea dare convenit, tempore apyrexiae melius revocantur in uſum, priuſquam paroxyſmi repetiti inflammationes creaverint, aut ſanguinis craſin nimis ſolverint, cavendo ne medicamenti operatio, et paroxyſmi adventantis ſymptomata collidant; unde aliquid

quid mali ſubitaneum, a concurſu morbi et remedii oriretur.

In ſemitertianis.

In ſemitertianis, et remittentibus quae ad naturam febrium continuarum quam proximè accedant, eadem cautela opus eſt, nempe emeticum vel lene catharticum, in temporis intervallo, quando febris impetus quam maximè remiſerit, adhibere. Nonnunquam in tertianarum principio multum boni, catharticum adhibendo, producitur, ſcil. vermes, quae in primis viis ſaepe hoſpitantur, auferre conducit.

Roborantia, cort. Peruv.&c.

Evacuantibus idoneis praemiſſis, ad roborantia, et adſtringentia, quod omnibus aliis palmam longe praeripit, praecipue, ad nobile et efficaciſſimum illud remedium, pulverem corticis peruviani, confugiendum eſt. Hujus dare convenit in febris apyrexia, circiter ſcrupulos duos vel drachmam unam, in vino, aqua, lacte, aliove idoneo vehiculo, omni horâ, bihorio, vel trihorio, pro rei neceſſitate, ita ut aeger ſumat ʒvi. vel unciam integram, ante expectatum paroxyſmi regreſſum, quo ſaepius omnino praecavetur.

Si intervallum, inter paroxyſmos, unum non ſuppetit ad ſufficientem copiam dandam, alterum occupari debet, quo pergendum eſt uſu illius remedii,

 eodem

eodem exacte modo, donec paroxysmorum recursus omnino praeveniantur.

A cortice abstinendum est in tempore paroxysmi.

Paroxysmo febris jam ingruente, et praesertim in tempore frigoris febrilis, temerarium et periculosum esset hoc remedium adhibere; itaque, medici omnes uno consensu a cortice exhibenda tunc temporis prohibent, qui tum pariret obstructiones vix postea resolvendas. In loco ejus autem, medicamenta attenuantia, et diaphoretica, cum diluentibus praescribere juvat. Talia sunt sales neutri, haustus salini, spiritus nitri dulcis, florum chamaemeli, aut salviae, infusiones; potus aquosi frigidi aut subtepidi; ad blandam diaphoresin ciendam.

Quid symptomatibus vehementioribus convenit.

Saepissime medici ad aegrotos non vocantur donec tres aut quatuor paroxysmos hi passi fuerint, quando errore aliquo in non-naturalibus commisso, aut abusu liquoris nimis spirituosi, vel evacuationum defectu, primae viae saburra biliosa vel putrida onerantur, et paroxysmi longi et subintrantes fiunt, et forte etiam stupore, syncope, cholera morbo, sudore, frigido, stipantur. Inter tot et tantas indicationes, et contra indicationes, tamque confusam symptomatum turbam, omne quod tuto facere possumus est, symptomatibus vehementioribus occurrere, vigilando interim, noctu, dieque, quando

quando febris remiſerit, et protinus ad corticem confugere, remedium ſolum cui poſſimus contra periculum impendens, tuto confidere.

Corticis peruviani preparationes.

Corticis Peruviani multae exſtant praeparationes. Aliqui ſubtilem ejus pulverem ſimplicem, alii eum cum aliis quibuſdam remediis compoſitum praeſcribunt; alii infantibus, et iis quibus ventriculus eſt admodum tener, et debilis, quòd pulverem in ſubſtantia capere non poſſunt, decocta, infuſa et tincturas ejuſdem, dari jubent. Ubi evacuantium uſus praeceſſerat, raro opus eſt aliquid cum cortice admiſcere. Si autem nulla evacuatio praeceſſerat, interdum ſocius jungitur ſal catharticus, vel pulvis rhei cum pulvere corticis peruviani. Cum autem, altera parte, ſupervenerit alvi laxitas, quae ſecum aufert effectus corticis febrifugos, ſingulis doſibus pulveris optime adduntur guttae paucae tincturae thebaicae. Ubi autem primae viae a ſordibus liberantur, et nulla eſt purgatio naturalis, pulvis corticis peruviani per ſe optime convenit.

Convaleſcenti conveniunt.

Ita profligatis morbi paroxyſmis, et omnibus febris ſymptomatibus radicitus ſublatis, adhuc utile erit, per tres aut quatuor vices, convaleſcenti dare aliquot doſes hujus corticis, bis vel ter die, quae